



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm Novembris Et Decembris

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10263

Vita S. Clementis Martyris, Episcopi Romani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77423)

ris. Nam quos tu dicis deos, ego & omnes, qui sunt sanis oculis, videmus esse lapides, & as, & plūbum. Dixit Præfectus: Meas iniurias philosophando contēpsi: non possum autem ferre deorū contumelias. Dixit sancta Cæcilia: Ex quo os aperuisti, nullum verbum fecisti, quod non te offenderet iniustum, insipientem & stultū. Sedenim quidnam hoc est, quod externis oculis te esse cecū ostendis, quando quod omnes lapidem esse adspicimus, & lapidē inutilem, tu deum esse testaris? Do tibi, si iubes, consiliū. & cum tangens, discere esse lapidē: si non nōsti, id adspiciens: est enim dedecus, a toto te rideri populo. Omnes enim sciūt Deū esse in cælis: hæc autē, vt quæ sint formæ lapideæ, per ignem posse melius mutari in calcem: quoniam iam suo ocio pereūt, & neque tibi, si simul pereas, neque si in ignē coniectæ fuerint, sibi poterunt subuenire.

hic locū ex Latinis ita restituumus

Cap. 26. Nihil læditur ab igne.

Tertio cæsa in capite, tri duo superuixit.

Obitus sanctissime virginis.

Tunc valdē iratus Almachiū, iussit eam reduci in domū suam, & illic balnei flamma torreri. Cū autem esset in aëre balnei sui inclusa, & subtrās toto die & nocte magna vis ardentis igni adhiberetur, tanquā in loco refrigerato illæsa permanisset & salua, Domini gratia: a deo, vt nulla pars omnino ex eius mēbris vel minimo sudoris signo fuerit humectata. Quod cū audiisset Almachiū Præfectus, illuc misit ad ipsam, vt in ipsis balneis ei caput amputaretur. Quā spiculator tribus percussit ictibus, & non potuit ei caput amputare. Sic autem eam semiputato capite ferus & crudelis ille licet reliquit: a deo vt omnes turbæ, quæ per illam crediderant, sanguinem linæis tanquā spongijs hauserint. Tribus autem, quibus superuixit diebus, non cessauit omnes, quos aluit & quos docuit, confirmare & corroborare in fide Domini. Quibus etiam distribuit omnia, quæ habebat, & sanctissimo Papæ Urbano commendauit. Cui etiam dixit: Trium dierum mihi iam petiui terminum, vt tradam hæc tuæ sanctitati, & hanc domum meam in seculum ecclesiæ nomine consecres. Impletis autem tribus diebus, & Deum precante beata Cæcilia, cū essent adhuc preces in ore eius, tradidit preciosam & sanctam suam animam in manus Dei viuētis, mensis Nouembris xxiij. Tunc sanctissimus Papa Urbanus, cū gloriosum eius corpus sustulisset noctū cum Diaconis, sepelijt ipsam inter alios collegas suos Episcopos, vbi sunt omnes confessores & martyres depositi. Eius autem domum in æternum consecrauit nomine sanctæ ecclesiæ, & illic perpetuū peraguntur sancta Domini mysteria vsque in hodiernum diem: in memoriam quidem martyris, gloriam autem & laudem magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi: Cui gloria & potentia nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA SANCTI CLEMENTIS MARTYRIS, EPISCOPI ROMANI, DISCIPVLI S. PETRI APO. *foli: Authore Simeone Metaphrasite, Tomo 5, Aloysij.*



TRAIANI Imperatoris tēpore, Torcutianus Comes officiorum, cū innumerabilem multitudinem Christo vidisset credere, accersijt Præfectos regionum, & datis eis pecunijs, persuasit, vt turbam mouerent aduersus nomen Christianum. Vrbis autem Præfecturam obtinente Mamertino, excitata est populi Romani seditio nomine Clementis: & exorta inter se inuicem confusione, aliud aliud in ipsum dicebat. Aliqui autem contrā dicebant: Quid enim mali fecit? aut quid non boni rectē gessit? Nam quencunque ægrotorum visitauit, is sanitatem ab eo est consecutus. Quicunque ad eum abiit affectus tristitia, is lætus est reuersus. Nullum vnquam læsit, omnibus verò profuit. Alij autem diabolico spiritu accens, clamabant: Magicis artibus hæc faciens, deorum nostrorum cultum euerit. Iouem dicit non esse Deum: Herculem autem nostrum, custodem esse dicit immundorum spirituum: sanctam Venerem refert fuisse meretricem: Vestam autem magnam deam, igne fuisse consumptam, impiè asserit. Similiter sanctissimam quoque Mineruam, Dianamque & Mercurium, Saturnumque & Martem calumniatur. Omnia nostrorum deorum nomina & templa probris insectatur & contumelias. Aut dijs nostris sacrificabit, aut ipse delebitur.

Noueb. 23.

Seditio populi aduersus S. Clementem.

Tunc Mamertinus Vrbis Præfectus non ferens populi seditionem, beatissimum Cle-

RIUS
ber
ober
VIII
5

Clementem iussit ad se adduci. Quem cum vidisset, cepit dicere: Ex generosa quidem radice processisti, ut tibi testimonium fert Romanus populus: sed errorem susceperisti, & ideo non possunt in animum inducere, ut taceant. Nam nescio quemnam Christum colis, & contra deos admittis. Quamobrem oportet te deponere omnem superfluum superstitionem, & colere deos, quos de more colimus. Tunc dixit B. Clemens: Optare excellentiam tuam prudentiam attendere meam defensionem & non propter imperitorum seditionem, sed propter meam doctrinam, me accusare. Nam etiam multi canes nos allatruerint & conciderint, non possunt nobis auferre, quin simus homines rationis participes: illi autem, canes latrantes. Semper enim, constat, seditionem proficisci ab imperitis, ut nihil habeat tutum, nec verum. Quamobrem queritur ratio silentij, in quo pro sua salute homo particeps rationis, & per se incipiat consultare & disserere, ut verum Deum inueniat, cui suam fidem honorifice commendet. Tunc Mamertinus Urbis Praefectus mittens ad Traianum Imperatorem, dedit nomen B. Clementis, dicens: Hunc Clementem seditiosus clamoribus populus incessanter querere, & non potest in eum inueniri fide digna probatio. Tunc rescriptum Traianus Imperator, oportere eum vel consentire sacrificantem, aut ultra mare & Pontum in desertam ciuitatem, sitam prope Chersonem relegari.

Quando autem Traiani iussus fuit confirmatus, cogitabat apud se Mamertinum quonam modo Clemens voluntarium non peteret exilium, sed dijs potius offerre libamina. Sed beatus Clemens contendebat ipsius quoque iudicis animum ad fidem Christi traducere, & ostendere, se potius eligere exilium, quam id timere. Dominus autem Clementi praeiuit tantam gratiam, ut Mamertinus Urbis Praefectus desereret, & diceret: Deus, quem tu synceres colis, ipse tibi opem feret in hoc, quo fuisti damnatus exilio. nauemque ei constituit: & cum omnia in eam immisisset, quae erant ad vitam necessaria, dimisit. Porro autem multi quoque ex populo viri pii eum sunt secuti. Cum autem peruénit ad locum, in quem erat relegatus, ad opus fodiendi & cedendi marmoris, illic inuenit plusquam duo millia Christianorum, qui ad longissimum tempus erant condemnati. Qui quidem cum vidissent sanctum & egregium Clementem, omnes vnanimis cum gemitibus & lachrymis accedentes, dicebant: Ora pro nobis sancte Pontifex, ut efficiamur digni Christi promissione. Quos cum cognouisset sanctus Clemens propter Christum fuisse relegatos, dixit: Non ab re me huc misit Dominus: sed ut, cum fuisset particeps vestrarum perpeffionum, praeberem etiam exemplum consolationis & tolerantiae.

Ab eis autem accepit, quod à sex milliaribus portabant aquam suis humeris. Statim itaque Clemens rogauit eos, dicens: Precemur Dominum nostrum Iesum Christum, ut fidei suae confessoribus aquae fontem aperiat: & qui percussit petram in terra deserta Sinae, & abunde fluxerunt aquae, ipse copiosum nobis praebeat fluentum, ut laetemur eius suppeditatione. Impleta autem precatione, in eo loco ad quem adspexerat, vidit agnum stantem: qui dexterum pedem leuauit, veluti sancto Clementi locum indicans. Tum sanctus Clemens cogitans esse Dominum, quem ipse solus adspexit, & nullus alius, profectus est ad locum, & dixit: In nomine patris & filij & spiritus sancti pulsate in hoc loco. & cum omnes circumcirca fodissent lignonibus, & non ipsum locum, in quo stetit agnus, paruo ligone accepto, paruo ictu sanctus pulsauit locum, qui erat sub pede agni: unde repente emerfit fons pulcherrimus aquis scaturientibus, qui magno impetu effusus fecit fluuium. Tunc sanctus Clemens dixit omnibus exultantibus: Fluminis impetus laetificat ciuitatem Dei. Propter hanc ergo famam accurrit omnis prouincia, & omnes, qui venerant ad doctrinam sancti Clementis, conuersi sunt ad Dominum: adeo, ut quotidie quingenti & plures baptizati recederent. Intra vnum autem annum factae sunt illic à fidelibus septuaginta quinque ecclesiae: & contrafacta sunt omnia simulacra, omnia templa regionis, quae erat circumcirca, sunt diruta: omnes luci, qui erant ad trecenta millia, omnino in orbem sunt concili & constrati.

Tunc ergo odiosa narratio peruenit ad Traianum Imperatorem, quod illic ad multitudinem innumerabilem auctus esset populus Christianorum: & ab eo missus fuit Praefes Aufidianus, qui plurimos Christianos diuersis tormentis sustulit. Videns autem omnes ad martyrium cum gaudio accedentes, cessit multitudini: solum autem sanctum Clementem cogens sacrificare: & videns eum sic esse firmum & stabilem in Domino, & nolle omnino à sua dimoueri sententia, dicit licitoribus: Accipite eum,

S. Clemens Praefectus sapienter respondet. Sedicio populi semper proficiscitur ab imperitis.

Praefectus humaniter se erga illum gerit in exilium abeuntem.

Exod. 17.

Precibus S. Clementis impetrat fontem insignem. Plal. 45.

Per multos conuertit ad Dominum extructis ecclesijs.

S U

eum, & ducite in medium maris, & projicite eum in profundum, ne possint Christiani tollere eius corpus, & pro deo eum colere. Cum hoc ergo factum esset, uniuersa multitudo Christianorum adstans fiebat in litore.

Post hac autem dixerunt Cornelius & Phœbus eius discipuli: Omnes oremus unanimes, ut ostendat nobis Dominus martyris sui reliquias. Orante ergo populo, retrocessit mare in suum sinum ad tria ferè millia. per siccum autem ingressi populi, inuenerunt in figura templi marmorei paratum à Deo habitaculum, & illic situm corpus sancti Clementis, & ancoram, cum qua fuit proiectus, prope ipsum iacētem. Reuelatum ergo fuit eius discipulis, ne reliquias è loco eijcerent: quibus etiam hoc fuit responsum, quod singulis annis in die suæ decertationis, cessurum sit mare uenientibus, septem dies siccum iter eis præbens. Quod quidem Deo placuit fieri ad laudem eius nominis usque in hodiernum diem. Hoc autem factò, quod erat præter opinionem, miraculo, omnes gentes circuncirca credidère Christo. Quo in loco nullus inuenitur Gentilis, nullus Hebræus, nullus omninò hæreticus. Illic enim plurima fiunt beneficia. In eius festo cæci illuminantur, dæmones expelluntur, febrientes sanantur: Nephretici, & qui calculo laborant, solo contactu eius reliquiarum, & aquæ sanctificatæ ad dispersione & potu, à morbo liberantur: & qui quouis morbo affecti, confugientes ad sacri martyris auxilium, fruuntur curatione: & permanet gloria eius & laus in æternum, per Dominum nostrum Iesum Christum: Per quem & cum quo patri gloria cum sanctissimo & uiuifico eius spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Demergitur in mare.

Molti creduti in Christu propter miraculum.

Miracula in festo eius.

NARRATIO SANCTI MARTYRIS EPHRÆM EPISCOPI GERSONIS, DE MIRACULO FACTO IN puerum à sancto martyre & Apostolo Clemente. Habetur per Simeonem Metaphrastem, quinto tomo Alosij.



Irabilis Deus in sanctis suis, opportunū est hodiè dicere cum Propheta. &: Quam admirabilia sunt opera tua Domine? &: Quis Deus magnus, sicut Deus noster? & tu es Deus faciens mirabilia solus. Quod enim præfenti orationi aliud afferam proœmium? Artificiofam enim dicendi artem præfens superat miraculū, cum miraculum multa excellat miracula, & ipsa etiam prophetica miracula exuperet, ut est ostensura oratio.

Psal. 67. 71. 76.

Scio vos cupere scire, quodnam & cuiusnam sit miraculum, & uergetis ut dicamus. Id autem est primum quidē Dei, à quo omnis datio bona & omne donū perfectum. Præterea autem Clementis Romani, qui post Petrum fuit præco ueritatis, & eius Romana sedis successor fidelis: illius, inquam, Clementis, cuius usque in hodiernum diem uniuersa terra uel tacens saluiferas clamat fuisse doctrinas. Clementis illius, qui fuit uere palme uitis Christi, per quem nobis expressus botrus doctrinæ, pietatis & salutis multum nobis effudit. Clementis, qui fuit ueræ scalæ, quæ nos non deducunt ad sublimem aliquam terræ altitudinem: sed uirtutū ascensionibus tanquàm aliquibus gradibus nos ad celū transmittunt & celestia. Scalæ quæ ijs, quæ à Iacob uisæ sunt, nihil sunt inferiores: non ostendentes nobis Angelos per eas ascendentes & descendentes, sed hominum animas diuinis admonitionibus, ut quæ à gradibus in gradus per uirtutes ad Deum deducant. Cuius quidem miraculum cum non didiceritis, o pulcherrime & fidelissime cœtus, quale sit & quantum, audire, ut uiri pij, contendite, & ad audiendam exultate orationem, & aures inclinate, & nostram arguite tarditatem. de hoc enim gaudeo. solūm uos rogo, ut usque ad finem mihi attentum animum adhibeatis, & nulla cogitatio, quæ ad huius uitæ curam pertinet, mentem uestram subeat, nec promptum uestrum animi studium sinatur retardare: sed hoc uigilanti animo & attento fideliter excipite. Res autem ita se habet:

Iacob. 1.

S. Clemens palme uitis Christi. Ierem. scala uirtutum.

Gen. 28.

Cum præclarissimus & beatissimus Clemēs perfecisset doctrinæ cursum & Apostolatū, & per consummationem martyrij hinc excessisset, ut gloriosi eius martyrij liber declarauit, (quæ uos non ignorare est mihi persuasum) non iustū iudicauit is, qui eos, qui ipsum glorificat, glorificat, non ipsum uicissim glorificare, qui pro amore in eum sic decertauit: sed eum ualde glorificare & magnificè extollere: & ut in celo Angelis, ita etiam hic hominibus eum reddere clarissimum, & maximè uenerandum per

1. Reg. 4.

R I U S
ber
ober
VIT
5